



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia
Sacra Et Hvmana Libri XVI**

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1634

18. De vsu & varijs Ordinibus Figurarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70090)

Roi magis humilis expositio definitur à Ser-
mo.

Tautologia.

Eandem rem pluribus verbis significat hoc
Aquil p. 21. schema. Differt autem per exiguo à superiori
figura, Synonymia: Ibi enim singulae par-
tes ex ordine idem significantes ponuntur:
hic vnus nominis, aut verbi prius positi vis
deinceps pluribus verbis explicatur: vt si di-
cas; Senatus, populiq; Romani summum
consilium, à quo iura exterae nationes
petunt. Hic enim vnum nomen Senatus pro-
secutionem accipit ex pluribus verbis, non ali-
ud significantibus. Qui enim summum con-
siliū dixit, & eum ordinem, à quo exterae
nationes iura petant, non aliud, quam senatū
dixit, sed proseguendo latius ornauit elocuti-
onem.

Traductio.

Eiusdem verbi crebrius positi quaedam di-
stinctio: vt, Qui nihil habet in vita iucundius
vita, is cum virtute vitam non potest colere:
Cic. lib. 4. ad Heren. Eadem est cum analepsi.

Zeugma.

Est cum vnum verbum communiter multis
sententijs iungitur ad omnes pari significatio-
ne pertinens, & adnexum, vt.

Aeneas Vrbe, & socijs, & classe relicta.

Latine haec figura dicitur ligatio, vel annexio.

NE quid igitur à me in hac parte desidera-
retur, visum est istam figuram nomen-
claturam, ex Demetrio Phalereo, Hermoge-
ne, Longino, Alexandro, Aristidis scholiaste,
Rutilio, Aquila, Rufiniano, Beda, & ceteris
breuiter subijcere, tum propter antiquitatis
auctoritatem, quam magni facio, tum propter
variā, & sane non inutilem *ἑκείνων* cogni-
tionem. Sed quia multas in tot veterum ob-
seruationibus esse minutias nemo non videt,
nunc omilla leuiorum figurarum disquisiti-
one, de vsu earum, quae notiores sunt, & ad ora-
tionis ornamenta laepius adhibentur, maxime
Ciceronianis exemplis pauca dicam.

De vsu, & Varijs ordinibus figurarum.

CAPVT XVIII.

Quod vestis corpori, stellae caelo, pratis flo-
res, regum coronis margaritae, scenae
& foto tabulae, atque insignia, hoc orati-

oni figurae, quibus nihil in oratorum appa-
ratu magnificentius: sed & in verbis contingere so-
let, in vsu quidam modus, ne si nimia fue-
rint, iisdem oratio potius obliui, quam disti-
ngui videatur.

Nescio enim quo pacto, non modò in re-
bus humanis, sed & in verbis contingere so-
let, vt summa voluptas fastidio sit vicina: &
pulcherrima quaeque si fuerint communi-
satietae impleant animos potius, quam dele-
ctent. Itaque & in mundo recursantes diei, &
noctis vices lucem efficiunt mortalibus iucun-
diorē, & annum temperant hyemis rigor,
feruor aestatis, amoenus veris decor, & autum-
ni grata maturitas, quae à Deo in natura pri-
mum condita, orator in verbis (sunt enim qua-
si naturae imagines) imitatur, nec orationem
figuris faciet, potius, quam decorabit.

Itaque nunc de earum vsu à nobis dicen-
dum est, non eo quidem ordine, qui tyronibus
tradi solet, sed qui instituto nostro, & dedo-
latis ingenijs sit commodior. At certè dum
còplector animo figuras omnes, vel ad docen-
dum, vel ad mouendum fictas reperio.

Primum igitur de ijs agam, quae ad illustre,
& suauē genus dicendi, in quo potissimum ef-
fert se delectatio, attinent, deinde grauis gene-
ris ornamenta, & figuras, quibus & docere, &
mouere possumus, ostendam.

Figurae ferme omnes, quibus haec dicendi
suauitas excolitur, aut in conformatione ali-
cuius imaginis, aut in repetitione verborum,
aut in dictionum nexu, & quadam gratia
concinnitatis versantur. Quae rerum imagines
efformant, vel vno, aut paucis verbis faciunt:
ex quo oriuntur metaphorae, antonomasiae,
epitheta, periphraes, synonymia, vel artifici-
osius, atque vberius expoliunt imagines, vnde
descriptions emergunt.

De primo ordine figurarum.

Quae imagines vno, vel paucis verbis expri-
munt.

CAPVT XIX.

PRima series figuratum metaphoram, an-
tonomasiā, epithetum, periphraem,
synonymiam comprehendit. De translatione
haec praescribit Demetrius.

Metaphora est ad vnum verbum contra-